METHODUS
SERVANDA
IN CONGREGATIONE HEBDOMADALI,

Quæ singulis sextis Feriis habetur in S. Metropolitana Ecclesia Beneventana, & Preces in ea recitandæ.



BENEVENTI,

Ex Typographia Archiepiscopali 1734.
Superiorum facultate.

Absolutis Vesperis cum Completorio, & coacto Clero in Sacello Ecclesiæ Metropolitanæ, procedendum venit infrascripto modo, pro quo rectè servando subsequitur præsens Instructio.

I. *Legatur aliquid alternativè ex Epistola S.Caroli Borromæi Archiepiscopi Mediolanen. pro Confessariis, & ex Opusculo P. Pauli Segneri Soc. Jesu, cui titulus:* Il Confessore Instruito, *quæ lectio fiat spatio medii quadrantis horæ, in quo sensus perficiatur.*

II. *Deveniatur ad lecturam & decisionem Quæsiti propositi, quæ decisio non excedat dimidiam horam. Contra ipsam decisionem duo ex congregatis sorte extrahendis debent arguere. Eorum extractio fiat post lectionem casus futuræ Congregationis. Post solutas objectiones datur licentia omnibus arguendi.*

III. *Deinde fiat praxis Rubricarum publicè expositarum pro omnium beneficio, & præsertim*

1. *De Missa solemni,*
2. *De Missa privata,*
3. *De Absolutione, & Exequiis Defunctorũ,*
4. *De Benedictionibus Candelarum, Cinerũ, & Palmarum,*
5. *De Administratione Sacramentorum Bap-*

tismatis, Ss. Viatici, & Unctionis Extremæ.

IV. *Peracta Rubricarum praxi, fiat explicatio moralis concionatoria super textu* Euangelii *currentis per spatium medii quadrantis, peragenda a sorte extracto in antecedenti Congregatione.*

V. *Ultimo die Veneris cujuslibet mensis, habita solita lectione Epistolæ S. Caroli, vel P. Segneri ut suprà num. I. procedatur ad exercitium Confessionis inter Pœnitentem & Confessarium, jam in præcedenti Congregatione destinatos. Qui Pœnitens confiteatur de rebus practicis, nempe de Blasphemia, vel de Furto, vel de Detractione famæ proximi, & de aliis peccatis ad dicta vitia pertinentibus. Confessarius autem respondeat Pœnitenti, proferendo judicium suum circa peccata confessa. Hæc confessio perdurare debet spatio trium quadrantium circiter: & datur cunctis licentia sic fictè confitendi.*

VI. *Quibus omnibus ut suprà expeditis, completur Congregatio cum gratiarum actione.*

ANTE CONGREGATIONEM.

HYMNUS.

VEni, Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quæ tu creasti, pectora.

Qui

Qui diceris Paraclitus,
Altiſſimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, Charitas,
Et ſpiritalis unctio.
Tu ſeptiformis munere,
Digitus Paternæ dexteræ,
Tu rite promiſſum Patris
Sermone ditans guttura.
Accende lumen ſenſibus:
Infunde amorem cordibus;
Infirma noſtri corporis
Virtute firmans perpeti.
Hoſtem repellas longiùs,
Pacemque dones protinus;
Ductore ſic te prævio
Vitemus omne noxium.
Per te ſciamus da Patrem,
Noſcamus atque Filium,
Teque utriuſque Spiritum
Credamus omni tempore.
Deo Patri ſit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In ſeculorum ſecula. Amen.

℣. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.
℟. Et renovabis faciem terræ.

℣. Ora pro nobis ſancta Dei Genitrix.
℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.
℣. Memento Congregationis tuæ.
℟. Quam poſſediſti ab initio.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMUS.

DEus, qui corda fidelium ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti: da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere.

COncede nos famulos tuos, quæſumus Domine Deus, perpetua mentis & corporis ſanitate gaudere: & glorioſa beatæ Mariæ ſemper virginis interceſſione, a præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia.

ACtiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adjuvando proſequere: ut cuncta noſtra oratio & operatio a te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

POST

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

℟. A templo ſancto tuo, quod eſt in Jeruſalem.

Agimus tibi gratias omnipotens Deus pro univerſis beneficiis tuis: qui vivis & regnas in ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

PLANCTUS B. M. VIRGINIS.

STabat Mater doloroſa
Juxta Crucem lacrymoſa,
Dum pendebat Filius.
Cujus animam gementem,
Contriſtatam & dolentem
Pertranſivit gladius.
O quàm triſtis & afflicta
Fuit illa benedicta
Mater Unigeniti!
Quæ mœrebat, & dolebat,
Pia Mater dum videbat
Nati pœnas inclyti.
Quis eſt homo qui non fleret,
Matrem Chriſti ſi videret
In tanto ſupplicio?
Quis non poſſet contriſtari,
Chriſti Matrem contemplari
Dolentem cum Filio?

Pro

Pro peccatis ſuæ gentis
Vidit Jeſum in tormentis,
Et flagellis ſubditum.
Vidit ſuum dulcem Natum
Moriendo deſolatum,
Dum emiſit ſpiritum.
Eja Mater fons amoris,
Me ſentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam.
Fac ut ardeat cor meum
In amando Chriſtum Deum,
Ut ſibi complaceam.
Sancta Mater iſtud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo validè.
Tui Nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Pœnas mecum divide.
Fac me tecum piè flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.
Juxta Crucem tecum ſtare,
Et me tibi ſociare
In planctu deſidero.
Virgo virginum præclara,
Mihi jam non ſis amara,
Fac me tecum plangere.

Fac ut portem Christi mortem,
Passionis fac consortem,
Et plagas recolere.
Fac me plagis vulnerari,
Fac me Cruce inebriari,
Et cruore Filii.
Flammis ne urar succensus,
Per te Virgo sim defensus
In die Judicii.
Christe, cùm sit hinc exire,
Da per Matrem me venire
Ad palmam victoriæ.
Quando corpus morietur,
Fac ut animæ donetur
Paradisi gloria. Amen.

℣. Ora pro nobis Virgo dolorosissima.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

INterveniat pro nobis, quæsumus Domine Jesu Christe, nunc, & in hora mortis nostræ apud tuam clementiam beata virgo Maria mater tua, cujus sacratissimam animam in hora tuæ passionis doloris gladius pertransivit. Qui vivis & regnas in secula seculorum. ℟. Amen.

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.
℟. Amen.

